

&c. et pariter, ni fallor, ad *Wicleffum* spectat; dicitur enim apud praedictos Literatores *Confessio* ejus de *Eucharistia* incipere: *Sæpe confessus sum et adhuc*. quae verba optime quadrant principio *Codici* nostri et in eo tantum omissa videntur. Adnexae sunt *Autoritates PP.* quibus opinionem suam stabiliri putat Noster.

XVI. fol. 335. Notae in *Epistolam I. Pauli ad Corinth.* a C. VII. usque ad finem, hoc initio: *De quibus autem scripsistis mihi. consequenter instruendi sunt Corinthij de Matrimonio contrahendo et de contracto non dissolvendo &c.* Item in *Epistolam II.* ab initio usque ad C. X. v. 1. in quo abrumpuntur. Initium ejusmodi: *Informati corinthijs de 4. sacramentis in hac 2. epistola instruit eos &c.* Excerpta maximam partem e *Poëstillis Lyrani.*

XVII. fol. 359. *Martinus Lupac* contra papam. In *Gieswina Anno christi 1462.* Quae de hoc Viro ad diem obitus ejus feria III. Pasch. 1468. 20. April. notat ὁμωνυμος *Procopius* in *Ephem.* haec sunt: Sacerdotem fuisse, *Johannisque Rokyczanae* Collegam et suffraganeum, Legationem ad Concilium *Basil.* obivisse, scripsisseque complura a se visa. In *Narratione* de Legat. *Bobemorum*, quae *Actis Concilii* in edit. *Labb. T. XVII.* praemissa est, inter Oratores invenio *Martinum de Cbrudim*, qui locus Nostri fortasse patria fuit. Iam ille in *Cod. praesente* crisin severam exerit in *Responsum Pii II.* datum Orato-

ribus Regis *Georgii* eod. anno 1462. quod vulgavit *Ge. Guil. Leibnitius P. II. Mantissae* ad *Cod. J. G. dipl. p. 159.* quodque in *Codice Crisin*, quam praecedere debebat, excipit. In hoc porro *Responsio Pius* Regem, Regnumque hortatur, ut ab innovatis Ritibus decedant, maximeque *Communionem* sub utraque *Specie* improbat, hoc initio: *Superioribus diebus cum audiissemus vos Oratores &c.* Quae inde inferat *Lupacius*, ipso ejus exordio proditur. *Hec responsa pape manifeste declarant anticristum iam imperare. Eo (antea?) plene putabam anticristum ante tempus venisse, nunc autem cognosco quia venit successive &c.* Praecipue impugnantur, quae Pontifex contra utramque *Speciem* obmoverat, ejusque verba singillatim recitantur et perstringuntur. Multa insuper occurrunt ad historiam *Compastatorum* facientia. Papae *Responsio* subjecti sunt aliqui contra illum *Versiculi* arescentis venae.

## DCCCIII.

Codex chartaceus lat. Sec. 234 XV. Folior. 253. f. partim lineis longis, partim columnatim exaratus sequentia complectitur: I. rubro: *Incipit tractatus utilis super totum officium misse editus et compilatus per fratrem bernbardum de parentinis ordinis predicatorum provincie tholosane et conventus Orthesij in Vasconia, sicut legit albia (Albiae, Albigae) pluribus auditoribus, solempnibus doctori-*

toribus, canonicis, religiosis, baccalarijs et clericis alijs anno domini **MCCCXXXIX.** et incepit feria quinta post cineres accipiendo thema quod sequitur de ewangelio illius diei et continuauit usque ad festum beati petri martir. in modo et forma que sequitur. Hanc inscriptionem praeit **Elenchus** omnium **III. Partium**, in quas uniuersum Opus tributum est, et **Praefatio** ad **N.** (Pictavinum de Montesquiou) prouidentia diuina episcopum **Albien.** quae incipit: *Altitudo diuiciarum sapientie et sciencie dei &c.* et subscribitur: *Datum actum et completum tholose in vig. dominici patris nostri Anno domini **MCCCXLII.*** Hanc excipit **Prologus:** *Quoniam clamitat sapiens &c.* et **Collatio** pro principio: *Domine non sum dignus &c.* Opus ipsum, quod inchoat: *Dividitur ergo iste tractatus in tres partes &c.* hanc miniatam praemittit admo-

nitioem: *Incipit tractatus huius operis: Sciendum tamen, quod in lectura multos reportatores habui, in bene dictis reportacionem approbo: si que autem alia addiderunt, vel in aliquo defecerunt, nolo michi imputari, ego enim legi in forma que sequitur in hoc libro.* Ad calcem post prolixam ipsius Auctoris subscriptionem miniatam, in qua refert Servatoris cruci suffixi dictum ad Thomam Aquinatem: *Bene scripsisti de me Thoma!* sequitur brevior haec: *Scriptum ueloci manu Jacobi schuch de Eslingen Art. Bacc. Anno. d. millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto, ad honorem et gloriam illius cuius corpus et sanguis in sacramento altaris sub speciebus panis et uini ueraciter continetur nec non et dominici confessoris sanctissimi Thome de aquino, cuius doctrina lucida ut sol et luna per mundi splendet climata amen.*

*Scribere qui nescit nullum putat esse laborem.  
Tres digiti scribunt, totum corpusque laborat.*

Agitur de **Bernardo de Parentinis** in *Scriptt. O. P. T. I.* p. 611. Editionibus operis nostri, quod et **Lilium** et **Elucidarius Missae** inscribitur, ibidem citatis adde **Reutlinganam** per **Job. Otmar** 1483. 4. et aliam *f. l.* 1487. f. **II. fol. 107.** *Tractatus de pusillanimitate cordis.* Scriptum breue, quod incipit: *Aliqui per cordis pusillanimitatem tum putant se desperare, cum non desperant &c.*

et finit: *qui diucius et laboriosius decertauerunt &c.*

**III. fol. 109. p. 2.** *Tractatus* hic inscriptus *de tribus nouissimis,* incipiens: *Quoniam karissime in huius uia uite fugientes sumus &c.* jam alibi titulum *Sermonis* tulit. Sed neutrum Auctoris memoratur.

**IV. fol. 114.** *Expositio Pater Noster* seu *Orationis Dominicae.* Initium: *O inmensa clementia, O ineffabilis benignitas, O mira dignatio*

2903

C O D I C E S

2904

natio &c. Tota in affectibus consumitur et finit: *Et totus te fruatur et totaliter in vita eterna, quam nobis concedat &c.* Non reperi Autorem.

V. fol. 117. fine inscriptione *Adlocutio Synodalis ad Clerum, quae incipit: Fratres Presbiteri et Sacerdotes Domini, Cooperatores Ordinis nostri &c.* quamque etiam Cod. DCCCXV. referemus; sed hic post ordinationem de *Chrismate* sic finit: *Volumus autem scire de quolibet presbitero, si ex ingenuis parentibus sit natus, an ex seruili condicione, si de parochia nostra sit natus, Volumus scire a quo fuerit natus (ordinatus?) vel ad quem locum pretitulatus. Si seruus, ostendat cartam libertatis, Si de aliena parochia, ostendat literas commendaticias.*

VI. fol. 119. *Traçtatus de Confessionibus audiendis, qui inci-*

*pit: Cum in arte naturalis medicine ad completam curacionem corporum suae custodiam in medico artis pericia requiratur &c.* Prologo subjicitur *Capitulum Syllabus*, unde liquet, post enumeratas singulas gravium nozarum species agi de divinis mandatis, fidei articulis, Sacramentis, Misericordiae operibus, officiis diversis hominum, de modo tractandi Peccatores pavidos et obstinatos, de ipsa nozarum confessione, et absolutione, de Casibus reservatis. Subnectuntur Quaestiones duae: de Pollutione nocturna et an Religiosi peccent graviter regulas ordinis sui transgrediendo. Initium ipsius *Traçtatus* est: *Sacerdos igitur sedens ad confessiones audiendas &c.* et finis: *veniale peccatum est sicut frangere silentium uel aliud simile.* Adjecit jocularis *Librarius*:

*Explicit hoc totum, propina da michi potum.*

Mallem Autoris nomen, quem inter hujus argumenti Scriptores incassum sectatus sum.

VII. fol. 148. p. 2. *Expositio Orationis Dominicae et Angelicae Salutationis* perperam minio *Thomae Aquinati* inscripta. Est enim catena Textuum e Patribus et ipso *Thoma* depromptorum; non tamen excerpta ex *Catena aurea*, five *Continuo Thomae*, quocum contuli. Inchoat vero: *Pater di-*

*xit non dominus, quia amari appetit non timeri &c.* et finit: *exhibente diuine miseracionis.* Autorem ignoro.

VIII. fol. 155. *Quaestiones XII. de Horis Canonicis.* Initium: *Queritur quid significant hore canonice et unde dicantur &c.* Finem faciunt versus de horarum canonicarum significatu, quorum ultimus:

*Christo bisseña custodia canitur (ponitur) hora.*

cui

2905

LITURGICI.

2906

cui subscriptum: *Anno domini MCCCC66*. Quaestiones hae in compendium redactae sunt ex fufiore Tractatu *Johannis de Lignano*, quem indicavi *Cod. LXXXVII*. neque tamen ordo Quaestionum servatus est.

IX. fol. 159. Opusculum Asceticum hic titulum praeferens: *Scripta cartusienfis cuidam plebano fratri suo*. Incipit: *Lauamini, mundi estote. ysaie 1<sup>o</sup>*. Ex quo nos sacerdotes omnino non statum communem cum popularibus et secularibus sed segregatum ab eis habemus &c. Atque ab hoc initio successu temporis natus est alter Titulus, sub quo pluries seculo etiamnum XV. typis excusum est, puta *Augustae, Lipsiae, Coloniae &c.* titulus videlicet: *Lavacri Conscientiae omnium Sacerdotum*; semper tamen absque Autoris nomine, quem quidem e *Cod. nostro Cartusianum* fuisse video, an vero is *Jacoborum* aliquis de *Clusa, de Gruytrode, de Junterbuck*, an *Johannes ab Indagine*, qui omnes plurima Scripta pia reliquere, fuerit, dicere non habeo. Editioni *Argentinenfi* 1519. 4. quacum contuli, adjectae sunt *Preces duae ante et post missam*, quas *Codex noster* ignorat.

X. fol. 219. *Tractatus de Superstitionibus*. Secunda manus addidit: *Magistri Nicolaij*. Inclina bar *Cod. DCLXXIII*. quo primum *Tractatus* hic occurrit, in *Jacobum de Junterbuck Cartusianae familiae*; quid autem, si ad *Nicolaum de Dünkelspühl* refer Denis *Codd. Theol. V. I. P. III*.

ri debeat, quamvis in *Scriptorum* ejus *Catalogo* non memoretur?

DCCCIV.

Codex chartaceus germ. Sec. 778 XVII. Folior. 360. 8. currente calamo perscriptus autore *Gottbardo Preiss* ex *Wabring*, qui Vicus est *Viennae* aditus, continet I. Expositionem *Sacrificii Misae* et *Rituum Ecclesiae Catholicae* hoc Rubro: *Die Teutsche Moßs Sambt Nützlicher Auslegung der Heiligen Mess im Hochben Ampt. Auch Auslegungen der Ceremon Aller Kirchen Gebreuche der Christlichen vnd Catholischen Kirchen Ordnung*.

II. fol. 79. Opus polemicum contra *Sectas*, inscriptum: *Vom gesätz der Natur auch Moyses vnd Evangelischen gesätz des Newen Testaments. auch Ordnung des Gottesdiensts vnd Lehr Jesu Christus des Obristen Priesters Nach der Ordnung Melchisedechs des Priesters gottes. des Tuffels vnd seines Anhang das ist Ketzern die Lugen zue widerlegen In allen Artickeln deren sie aus der H. schrift fälschlich auslegen. vnd die H. Bibl als den ackber Gottes durchwüllen wie die Seu*. Additur annus 1625. *Negari* nequit, Autorem in rebus, quas tractat, satis versatum esse, sed verba germanica provisam rem invita sequuntur. Latina fortassis lingua valuisset magis, sed plebem nempe instruere voluit. Nihil de eo in *Literatoribus nostris* reperi.

C c

DCCCV.